

variae lectiones sumtae sunt, rapacitate hostium, cum VI multis aliis, ex Bibliotheca Veneta ablatas, ei nunc red-ditus, omine bono in usum tibi cedit. Eodem, cum aliis Aeschyli Marcianis, pro sua editione Robortel-lius fortasse usus est, cum ei ab an. 1549. ad 1552. litteras Venetiis profitenti, bibliotheca publica patuerit; quanquam nullibi codicum Venetorum mentionem in-jecerit, homo ceteroquin eos aversatus, qui codices MSS. afferebant, locis, quibus asservabantur, non in-dicatis." Haec ille. Atqui certum puto Robortellum hunc codicem nunquam oculis usurpasse, quum in editione sua omnia hujus fabulae omiserit post v. 1129. quae tamen in libro Veneto exstant. Hoc tamen ob-servandum est, hunc librum, non secus ac Florenti-num, haud paucis in locis cum Robortello conspirare, ubi ille ab exemplari Aldino discedit.

Hactenus de novis subsidiis quae huic nostrae edi-tioni accesserunt. Codex autem Guelferbitanus, sae-culo xv. ut aiunt, scriptus, nisi paucissimis in locis cum editione Aldina consentit, "ut hanc inde impres-sam dixeris," inquit Butlerus, "nisi adhuc major sit consensio codicis nostri Ven. I." Equidem vix dubito quin liber Guelferbitanus ex editione Aldina transcrip-tus fuerit.

Casauboni conjecturas, quae passim memorantur, ex margine libri cujusdam in Bibliotheca regis Gallo-VII rum adservati desumtas, Needhamio transmisit Joan-nes de Burigny. Sic describitur a Vauvillerio. "*Ae-schyli Agamemnon* cum Isaaci Casauboni interpreta-tione interlineari. Accedunt ejusdem notae et ob-servationes eruditissimae. Is codex ipsius Casauboni manu anno 1610. exaratus, jam diu furto ablatas e